



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Philippicæ Sive Invectivæ LX. In Notorios Peccatores

Hartung, Philipp von

Egræ, 1687

Philippica 7. in immorigeras proles.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76172)

cumferret pudorem, spectandam se præbet: *castitas similitudinem querit*, verba S. Ambrosii l. de viduis, *pubica secretum, impudica conventum*. Prima laus viduarum Paulæ Romanæ, Blesillæ, Melaniæ, Marcellæ apud Hieronymum, Olympiæ nobilissimæ viduæ apud Chrysostomum, Gallæ Symmachi filia apud Gregorium Magnum solitudinem amavisse. Nimirum vidua ut lilium sit, spinas amet solitudinis: *sicut lilium inter spinas*; ut turtur sit, gemat solitaria, ut canant de ea Angeli: vox turturis audita est in terra nostra. quænam illa angelorum terra? nî fallor desertum est, ubi Christo ministrant Angeli, occinuntque illud: ô beata solitudo! ô sola bea-

titudo! ut vidua gemma & thesaurus sit, abscondi amet; thesauro enim abscondito viduitatem assimilari, in eo audimus Evangelio, quod de Sanctis viduis legi solet. Deniq; ut verè vidua sit, Annam hodiernam imitetur, de qua brevibus multa S. Ambrosius cit. *cujus diversorium erat in templo* (quidni in templo; cum viduam altare Dei dixerim ex Ignatio) colloquium in prece, vita in jejunio. Ità vivant viduæ, colloquantur, diversentur, & erunt omnes Annæ coram Deo, hominibusque gratiosæ.



PHILIPPICA VII.

In Immorigeras proles
DOMINICA
POST EPIPHANIAM.

Erat subditus illis, LUC. 2. V. 51.

S. I.
Formam
obediëntiæ
ex se Chri-
stus dat.



Ræclarè personas suas in scena Evangelica obière Mater & Filius, IESUS & MARIÀ. Mater paucorum semper verborum (quia unus Mater Verbi) primas sibi dicendi partes præ Josepho sumpsit, quia præ hoc plus juris in Filium habuit, & plus dilexit, ideòq; de Dilecti absentia plus indoluit, *Fili quid fecisti nobis sic?* Vox hæc turturis est, & gemendo increpat, & gemit increpando: *quid fecisti nobis sic?* quasi dicat, prout exponit Timotheus pres-

byter: cur interrogas, & doces, qui nondum litteras didicisti? cur pro sapientiæ Doctore te geris? cur invidiam adversus te concitas? cur me unigenito meo orbare vis? ecce ardentibus oculis te undique aspiciunt, jam dentibus suis strident, tanquam veræ bestia, quæ adversus Agnum tenerum moventur, Hucusque Timotheus. Bene ergo maternû Virgo munus obivit. Sed et Filius partes omnes, & numeros, cum pietatis Deo debitæ, tum obediëntiæ parentibus præstandæ implevit, quando maternis verbis

rat. de oc-
cursu Do-
mini.

Biblioth.
Pp. tom. 4.
in fine O.

E 3

mo-

modestissimè reposuit: *an nesciatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* ut insinuaret obediendum Deo magis, quàm hominibus, cum id divina exigit gloria, ac voluntas. repugnandum nonnquam parentibus est, cum hi divinæ repugnare videntur ordinationi; nam *non es ejus cui nata es, sed cui renata. qui amat patrem, aut matrem plus quàm me, non est me dignus.* fugiat duodennis Martinus invitis parentibus ad baptismum, ut sacratiore regeneratione in divinam transeat filiationem. Fugiat tredecennis Thomas Aquinas ad religionis coelum calcatâ tellure, ut Deum habeat patrem, Angelos fratres, in alijs verò omnibus, quæ divinæ non repugnant voluntati, parendum omninò parentibus est Incarnati Dei exemplo, qui *erat subditus illis*, quis? quibus? Deus hominibus, Creator Creaturis, Rex servulis, ut non erubescat humana ambitio subdi parentibus, cum subditum videt Filium DEI. *Formam obediendi puer IESUS pueris sanctis tradidit, sequi illos in Nazareth non despexit, Magister Discipulos, Deus homines, Verbum & Sapientia fabricum & sceminam.* S. Bernardus ser. 19. in Cant. Aptissimè Ambrosius in C. 18. Luc. *honora parentes tuos, quia suos Dei filius honoravit. legisti enim: & erat subditus illis. Si Deus servulis, quænam modum tu parentibus?* Contra quod DEI exemplum, & præceptum, cum passim à malè moratis prolibus gravissimè peccari videam, agam in pervicaces ejusmodi liberos quantâ poterò liberate, ut ab effræni eosdem contumacia sub frave debitæ subjectionis iugum adducam.

S. 2.
Cur immorigeri filij lapidibus obruantur.

Ad obedientiam parentibus debitam liberos commonefaciens Paulus ita scribit Eph. 6. v. I. *filij obedite parentibus in Domino; hoc e-*

nim justum est. lege cum naturæ, tum Moysis docemur parere, quia sic vult Deus, sic ratio exigit, sic naturalis docet instinctus. ideo primum secundæ tabulæ præceptum est de honorandis parentibus, sicut primum primæ erat de honorando Deo; quia parentes Deum Conditoem, ut ait Philo, repræsentant. Si Dominis obediendum est, multò magis parentibus; sunt enim Domini acceperuntque naturale Dominium in liberos ab ipso met Deo? *qui timet Deum, honorat parentes, & quasi Dominis serviet his, qui se genuerunt.* Eccl. 3. v. 8. ideo prudenter Rachel patrem suum etsi idololatram, etsi furiarum plenum, cædisque avidum Domini titulo appellat: *nè irascatur Dominus meus, quòd corâ te assurgere nequeo* Gen. 31. v. 35. si præceptoribus, si magistratui, si belli ducibus obediendum est, multò magis parentibus, qui instruunt, alunt, defendunt proles, pro iisque cum tot curis, laboribus, doloribus, ærumnisque conflictantur, ut plerumque vitam ante tempus amore liberorum prodigant, cum è contra immorigeræ proles vix aliud mereantur, quàm ut parentum suorum sepulchrales agant lapides, quos inobedientiâ suâ ad immaturum perduxere sepulchrum. Mandavit Deus contumacem Filium lapidibus obrui. Deuter. 21. à v. 10. *ad 21. lapidibus eum obruet populus civitatis, & morietur, ut auferatis malum de medio vestri, & universus Israël audiens pertimescat.* cur hoc potius, quàm alio mortis genere immoriger plectitur filius? lapidibus obruatur, quia lapidibus durior est, hi enim patiuntur in omnem se aptari figuram, prout murario libuerit, patiuntur pedibus se trudi, malleis confringi, & quo loco ponuntur, eodem quiescunt; non sic immorigeri filij lapidibus obruantur,

clari jubeantur.

Hieron. epist. ad Helioth. Mat. thæ. 10. v. 37.

tur, quia blasphemorum propria pœna hæc est; immoriger autem in parentem, plerumque blasphemus est in Deum. lapidibus obruatur, ut, si taceant homines, loquantur lapides, & ingrati filij scelus posteris propalent. Lapidibus obruatur, quia fuit lapis offensionis, & petra scandali, & cordis lapidei simulachrum. lapidibus obruatur, quia sicut ab hominibus calculo comprobationis condemnatur, ita à Deo abjectus, & non ad fabulosum Siphii Saxum, sed ad asinariam, sub qua æternum prematur, molam adjudicatur. Lapidibus obruatur, ut sit ipse in sepulchralem lapidem, sub quo contumacia tumuletur.

§. 3.
Genuini filij Abrahæ sunt obedientes.

Non fuscitabit ex lapidibus his Deus filios Abrahæ, sed in caminum, & furnum Luciferi destinabit. Genuini filij Abrahæ singulari semper reverentiâ, obedientiâque excelluere. Isaacum cogita, qui lignorum fasce velut asinum se onerari, velut oviculam se ligari, velut victimam aræ imponi libenter passus est *Genes. 22.* Jacobum Isaaci filium contemplare, qui ad matris vocem paternâ domo relicta arduum iter ad Labanum in Haran ingredi, & 20. annis exulare; ad patris verò nutum nullam de filiabus Canaan in uxorem ducere contentus fuit. *Gen. 27.* Josephum Jacobi natum ob oculos pone, qui ad patris sui imperium fratres in deserto curam ovium gerentes accedere veritus non est, etsi non ignoraret capitali eos flagrare odio, ideoque certum vitæ discrimen se adire. *Gen. 37.* Rechabitas dilauda, quos Deus ipse suo dignatus est encomio, quod ad patris sui consilium, an mandatum vivæ vocis oraculo intimatum in seras posteritates omni vino, & quidquid inebriare potest, sanctissime abstinerint. *Jer. 35.* Hi sunt germani Abrahæ filij divinâ laude,

& benedictione dignissimi, atque electorum Dei filiorum catalogo inferti, cum è cõtra immorigeri in sensum reprobum dati, non filij, sed spurij, sed monstra, sed viperarum genimina nuncupentur. Esau cogita, qui, quod parentibus inobediens esset, jure primogenituræ meritò excidit. *Gen. 6.* Absolonem respice, qui, quod parricidale bellum in patrem movisset, meritò tribus confixus lanceis, & lapidibus obrutus est. *2. Reg. 18.* Filios Heli non nomino, qui, quod monita paterna, licet blandissima impie contempserint, morte improvisâ cæsi cladem posteris immanem intulere. *1. Reg. 4.* Filios Job fortassis turbo involvit, quod paternæ pietati minus responderent convivij intenti, dum parens interim sacrificijs vacaret. *Jobi 1.*

Graviori pœnâ, quàm Esau, quàm Absolon, quàm Filij Heli, & Job, in lege gratiæ multati sunt, qui refractarij parentibus suis fuere. Tempore Thomæ Cantipratani, prout ipsemet testis auritus confignat, accidit sub Philippo rege in Francia, ut pervicacissimi capitis adolescens alterum ageret Ismaëlem, de quo *Gen. 16. manus ejus contra omnes, & manus omnium contra eum*, omnes enim impetebat, nec proprijs parcens parentibus, quos mœroribus, & curis confectos ad amaram mortem perduxit. Non potuit diu superstes esse, qui auctoribus vitæ suæ injurius fuit; infirmatus itaque, & ad extrema deductus, etsi sacramentis omnibus munitus esset, subito inter adstantium manus horribili voce exclamavit, exilivit, irrugit: ad arma omnes, ad arma, en ecce pater meus omnium hostium meorum antesignanus occidere me conatur. quæ cum diceret, ad portam accelerabat iter, quasi obstiturus intrantibus; sed subito

§. 4.
Exempla immorigerarum prolium severe punitarum Cantipr. l. 2. ap. C. 14.

con-

corruens inverſis horribiliter oculis animam egit, hæc ultimùm profatus: pater! heu pater meus! validiſſimo modo lapide frontem meam contrivit. nihil viderunt, qui hæc audierant, audierunt tamen tumultum comprimentium ſeſe turbarum & armatorum ſtrepitum. hunc lapidem merentur immorigeri Goliathi. mirum ſi non feriantur, ut pereant.

Sigebertus
ad annum
878.

Non parcit Deus regum filiis ſicut filiis ſuis, angelis inquam, non pepercit, ſi patris reverentiam deperdant. Carolus junior cognomine Craſſus Ludovici Germaniæ regis filius, à dæmonio correptus, & in præſentia patris, ac procerum Francofurti in diæta graviffimè exagitatùs eſt, horrido ejulatu exclamans: *hæc mea eſt irreverentia pœna.* donec à Luitberto Moguntinorum Archiepiſcopo in Eccleſia Cathedrali exorcismis, & Euchariſtiæ impoſitione liberaretur. eandem pœnam caveant, qui parentes ſuos affligere flocci ducunt. Suppetit mihi energumenorum copia ingens, quos ex nulla alia cauſa dæmon poſſedit, quàm quia diabolicam potiùs contumaciam, quàm Angelicam in parentes promptitudinem ſunt æmulati.

Baronius
tom. 7. ad
An. 564.

Chramnus Clotarij Francorum Regis filius, velut alter Abſolon, contra Patrem ſuum bellum moverat, quòd ante tempus Britanniæ Rex à Patre non crearetur; at caſtris exutus, proſtigatus, captivatus cum uxore, & filiabus, ac demum juffu parentis, qui ante pugnae initium audiente exercitu exclamavit: *judica juſtiſſime Deus inter me, & filium meum, ſicut judicaſti inter David, & Abſolonem, respice Domine, & judica cauſam meam, quia injuſtè patior à filio meo, juffu inquam parentis tuguriò pauperculæ mulieris inclufus, ſuper ſcamnum extenſus, & poſt multa impropria unà cum u-*

S. Gregor.
Turon. l. 5.
C. 20. hi-
ſtor. Fran.

xore, & liberis incineratus eſt. optarem ex his cineribus filiis immorigeris partem è collo appendere, ut ab irrequieto cinere officii ſui commonerentur. Ingenioſè dixit nonnemo, ſicut arbores, quæ flores non parturiunt, ſed groſſos tantum, & nodofa emittunt germina, non niſi exciſionem, & ignem merentur; ità juvenes, qui per obedientiam non florent, nec Nazarei eſſe volunt, *groſſi* imò *groſſiſſimi* fiunt, nec aliud merentur, quàm securim, & gehennam. Talis groſſus fuit, ſeveriùsque idcirco, quàm Eſau punitus eſt, ingratus ille filius in Normannica ignobili domo, ſed divitè natus, qui hæreditatem à parentibus eblanditus factâ ſponſione, quòd parentes opiparè per reliquam vitam habiturus eſſet; primo quidem anno bene, altero malè, tertio peſſimè habuit, quartò denique domo exegit ità ſvadente uxore, & in domunculam è regione ædificatam reſtruſit, ubi vitam miſerrimè ſuſtentabant. Accidit, ut caponem veru hærentem in culina filij anicula mater obſervaret, monitumque oraret maritum, non timeret prandium adire filij, & vel ſemel famelicum ſaturare ventrem. venit bonus ſenecio, at filius viſo parente caponem in armarium ocyus inclufit, patrique obvius: quid quaereret? inſiſſit, famelicumque dimiſit. rediit ad tuguriolum parens, rediit ad armarium filius, & dum caponem eximere ſatagit; buffonem pro capone deprehendit, qui in impudentis filij frontè ocyus involans pluribus in ea annis hæſit, nullà avellibilis arte. nō licebat enim ſinè graviffimo doloris cardiaci ſenſu, vel minimam monſtri partem contrectare, ut tantò arctiùs cum pudore dolor ſociaretur. cum tandem ſclerum pœnitens ad diæceſanum recurrit Episcopum, à quo pœnitentiæ loco ac-

Cæſarius
l. 6. c. 22.
Cantiprat.
l. 3. c. 7. S.
Bonaven.
Serm. S. in
præce ptū
quartum.

ce-

cepit, ut vicinas regiones circuiret, & pervicaciæ suæ poenam omnibus enuntiaret. obedivit miser, & postquam Parisiis, alibique ignominiam suam palam retulisset, sanctorum quorundam precibus liberum se sensit monstro subito disparente. Talem buffonem pro frontali merentur cervicosæ filia, talem frontem effrontes filij, talia fercula ingratae proles, quæ cum bolum ori subtractum parentibus porrigere deberent, lapidem pro carne, scorpionem pro ovo porrigunt, cumque delicatissimis cibus vescantur, (qui tamen omnes in buffones olim convertendi sunt) vix ossa parentibus favent, imò ex ossibus parentum suam exfatiant ingluviem.

Scribit beatissimus Indiarum Apostolus Franciscus Xaverius l. 2. Epist. 3. incidisse se in ejusmodi anthropophagos, qui, ut solenne alijs convivium exhibeant, parentem grandævum necant, & coctum, limum, assum convivis apponunt eâ lege, ut vices reddant convivæ, & simile instruant epulum. ô barbara crudelitas! ô rabies plusquam belluina! at quid loquor? abundat similibus filiis Europa nostra, regio nostra, urbs nostra, qui non ferro, sed animas pertransiente doloris gladio, parentes suos conficiunt, & de bonis relictis, quasi de carnibus parentum epulantur, & tripudiant. est illis more Japonum color ater, in signe lætitiæ, quia sub simulato in atris vestibus luctu gratulantur parenti de exsoluto naturæ debito; sibi verò de pingui hæreditate relictâ pleno, ut ajunt, splene congauident. ô digni, quibus alia non sit hæreditas quam furca, rota, rogos, nec alii hæredes quam corvi juxta Sapientissimi Regis imprecationem: *oculum, qui subsannat patrem, effodiant eum corvi de torrentibus.* Cur suspendio potius, quam alio

supplicio, interiërit Absolon capillis locò funium implicatis quercui, causam affert Lauredanus; quia aliud genus mortis vix merentur immorigeri filij, quam ut cœlum inter terramque pendeant ab utroque; deferti. non expectavit terra, ut furca pro Absalone erigeretur, sed tot furcas, quot arbores sponte protulit, ut indicaret proditores parentum, & iniquos in patrem filios non unâ, sed mille furcis dignos esse, atque ideo tot passim arbores produci, ut sufficiant, si mille furcæ singulis constituantur; nec ab alijs, quam à seipsis lugeantur, pulloque colore non exterius assumpto, sed cuti intimæ impresso vestiantur. Quòd Æthiopes atro à natura deformati sint colore, non climati adscribendum; sed maledictioni Noëmi, qui filium impudentem Cham in feris nepotibus signavit, & denigravit, ita Genebrardus ex receptissima traditione Hebræorum affirmat l. 1. Chronolog. à Noë derisorem filium Cham, à quo Æthiopes descendunt, punitum esse nigredinis imprecatione, ut cum patrem ipse denigraverit, atrore in posteris suis ad cautelam signaretur. Addit Genebrardus Getulos ex stirpe Cham pariter prognatos, præter nativam nigredinem, etiam putore oris affectos esse, ita ut salem perpetuò in ore gestare cogantur. & quamvis plurimi alij sub æquatore, & locis utriusque tropico vicinis inter medios Æthiopes habitent, in albedine tamen nascuntur, quia non ex Cham, sed Japhet & Sem promanant; hæc ille. Nigrescant & puteant omnes infulsi, & immorigeri filij, ut ingenuus quisque horrere, & vitare eosdem noverit, atque cum Satyrico occinere: *hic niger est, hunc tu Romane caveto.*

Confundunt ingratas proles ciconiæ

Laured. in Sylva lit. Filij. pag 458.

5.
Devorant nonnulli parentes mos.

proverb. 20. v. 17.

§. 6.
Bestiæ
plus suis
deferunt
parentib⁹,
quàm ho-
mines.

conia, meropes, aliæque animantia in curam parentum alendorum, balulandorum, fovendorumque uni- cè intenta; merops ut primùm vo- lare didicit, mox parentibus infer- vire confvevit, ait Pierius hierogly- pho. 17. Ciconia, teste D. Ambrosio L. 5. hexam. C. 16. vetulos parentes pennarum defluvio laborantes alis- confovent, & in volatu utrinque su- stentant; upupæ & glires parentes suos senio festos insigni curâ alunt, teste Æliano de upupis l. 10. c. 16. Pli- nio de gliribus l. 8. c. 57. Leones ju- niores prædam senioribus adfe- runt, teste Plutarcho l. de solert. a- nimal. ô mortales meropibus, upu- pis, gliribusque deteriores, ideò- que digni, qui in nidum, & possessio- nem horum animalium cedatis! quàm vereor, nè leo ille rugiens, qui circuit quærens, quem devoret, in prædam vos abripiat, cum leuncu- lorum longè vos superet gratitu- do, nec ulla tangat cura, ut vestram cum parentibus prædam, leonum more, dividatis.

§. 7.
Ethnici
observan-
tiores pa-
rentum,
quàm Chri-
stiani.
Dio l. 47.

Erubescō, quoties Ethnicos re- volvo pietate in parentes insigni præditos, & ad Christianorum con- fusionem obsequentes. Cornelius Scipio, quia cæco parenti in bacu- lum senectutis sese obtulit, *Scipio- nis* nomen familiæ meruit. Quinti Ciceronis filius quæsitum ad necem parentem occuluit, cumq; in quæ- sitionem vocaretur, omnibus poti- us tormentis excarnificari voluit, quàm latebras evulgare. Decij Au- gusti Filius imperij purpuram à pa- rente sibi oblatam recusavit inqui- ens: *vereor, nè si imperator fiam, de- discam, esse filius; malo non esse Impera- tor, sed humilis filius, quàm imperator, & filius in devotus.* Philippus ve- rò Philippi imperatoris filius, De- cij antecessor, in imperium ab Augusto patre evectus: *gaudeo, inquiebat, me habere patrem, cui o-*

bedire possim non tantum ut filius, sed etiam ut imperator. ita recenset Pe- trus Blesensis ep. 47. De duabus filijs narrat Plinius, & Valerius Ma- ximus, quarum altera matrem carce- ribus mancipatam diu uberibus sustentavit, meruitque hac pietate, ut carcer verteretur in fanum Deæ Pietati sacrum; altera Cimonem pa- trem lactando vitam illi, sibi famam immortalē comparavit.

Plin. L. 7. c.
38. Valer.
Max. L. 5.

Habemus nos Christiani quidem unum Constantinum, qui Matrem suam Helenam omnibus Thefauris prætulit, & ædificatis nomini ma- terno urbibus honoravit; habemus unum Alphonsum Arragonum Re- gem, qui Ferdinando lecticâ vestro pedes succollavit, & funus pater- num 17. aureorum millibus hone- stavit; habemus unum Thomam Morum, qui palam flexo genu be- nedictionem paternam expetiit; ha- bemus unum Alexium Isaacium, qui paternæ pietati imperatoriam di- gnitatem prætulit. at quid hoc inter- tantos? quid hoc inter Christianos, quibus suo Christus exemplo ita præluxit, ut pudor sit non sequi, miraculum diabolicum sit non obe- di re, nõ revereri, non diligere. Diligi- te proinde ô filij filiæque parentes vestros; nè vos oderit Pater cœle- stis; vestigia Iesu sectemini, & sub- diti estote, nè vester vos reprobet. Judex; ad ultimum usque spiritum grati vivite, nè vos sanctus deserat Spiritus, & rebellibus inferorum spiritibus in possessionem, tortu- ramq; sempiternam permittat. Lon- gævitate si cupitis, felicitatem si quæritis, benedictiones supernas si amatis, obedite, diligite, honorate, ut suo vos Sanctissima Trinitas censeat in numero filio-

rum.
* * *
* * *
*

PHI-